

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Rectore Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Dn. Friderico Avgvsto ... De Fvndamento Venerationis Dei Religiosae, Adversvs Hobbesivm Disserset

Vitembergae: Literis Christiani Gerdesii, [1706]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn104711285X>

Druck Freier  Zugang



K.K. 2 (120.)

11

Q. D. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO ELECTORAT. SAX.
HEREDE ET RELIQVA,
DE
**FVNDAMENTO
VENERATIONIS
DEI RELIGIOSAE,
ADVERSVS HOBESIVM**
DISSERET
PRAESES
M. IACOBVS STAALKOPFF,
SEDINO-POMERANVS,
COMMITITONE
CHRISTOPHORO SCHORISCHIO,
SORA-LVSATO,
IN ACROATERIO MINORI.
D. XXVIII. APRIL. MDCCVI.

*VITEMBERGAE,
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.*

LLACTOR MAGNIFICENTISSIMO
MARIAZENO LUNA ET SOLIS
DU. FRIDERICIO ADGOTO
PRINCIPALIA HABEAT ELEGANTIA ET SIZ
HERESS ET RESS
DE

FUNDAMENTI
AEVENTRATIOMIS
DEI RELIGIOSE
ADVERSAS HORRESIAM
DIRECTA
LXVII
M. IVOCVAS STALLKOPFE
SEDDIN-POMERANIA
COMMUNIONE
CHRISTOPHORO SCHORRICO
SORA-FASATO
IN ACCORDIBUS MUNICI
D. MICHAEL VITRI MDCCL
LITERIS CHRISTIANI GERDESII



IESV FORTVNANTE.

L



Vpremo rerum omnium moderatori
cultum aliquem deberi, ipsum rectae
rationis dictamen ac Iuris Naturalis
omnium hominum cordibus insculpti,
principium dictitat. Quod tamen eo
accipi nolim, ac si hominem simulac
lucem adspexerit, statim notitiam de
DEI cultu actualem habere censeam;
id saltem statuens: creaturee rationali ab ipso mox ortu suo,
inditam esse aliquam habitudinem, ac propensionem huic
Propositioni: DEVS EST COLENDVS assentiendi. Ut
clarius mentem meam exponam, res eodem sese habere mo
do mihi quidem uidetur, uti se habet cum notitia DEI natu
rali insita. Quemadmodum enim illa non consistit in actua
li existentiae diuinae cognitione; sed tantum in eiusmodi
proclivitate habituali cuius, homo rationis usu atque exer
citio gaudens, terminis Enunciationis huius: DEUS EST
intellectis, absque ulla dubitatione aut expectata ulteriori ex
plicatione uel demonstratione, confessim in assensum ruere
tenetur; ita etiam simulac alicui qui ratione uti potest, haec
Positio: DEVS EST COLENDVS proponitur, ille sta
tim citra ullam tergiuersationem asserto huic assentiri cogi
tur

A 2

tur. Quae cum satis clara sint, ac praeterea nobilissima illa
Doctrinae Moralis pars quae de Cultu Diuino praecipit, a
uiris celeberrimis atque doctissimis (a) satis superque ex-
posita sit, ei generaliter pertractandae immorari superuaca-
neum duco, de fundamento tantum uenerationis DEI reli-
giose paucula quaedam pro ingenii modulo commentatu-
rus. Ac quam HOBESIVM praecipue in praesens im-
pu-

(a) Nominare hic sufficiet IO. CHRISTOPH. BECMANVM
in Conspectu & lineis Doctrinae Moralis Magnif. Domini-
num ROEHRENSEE in Differt. de Obligatione ad Cultum
Numinis. Excellentiss. Dominum D. ROESERVUM in In-
stit. Moral. Libr. I. Cap. IV. Viros Admodum Reuerendos
atque Amplissimos Dn. M. SAMVELEM LVCIVM & Dn.
M. CHRISTIANVM REVTERVM in peculiaribus Differ-
tationibus Praeceptores omnis obseruantiae ac submisso-
nis cultu deuenerandos. LAMBERTVM a VELTHVY-
SE N in Traet. de Cultu Naturali. PETRVM CHAV-
VINVM libr. II. Traet. de Religione Naturali. Quibus
addendus erit GERARDVS de VRIES, qui eleganter
etiam pro more suo hac de re in Exercit. Rational. Exer-
cit. XV. & XVI. differnit. Fusiis ea se persecuturum
promisit in Phil. Morali ex primis I. N. elementis dedu-
cenda cuius spem fecit Exercit. XV. pag. 112. & in praefat.
ad Exercit. de Lege Naturae. Quam tamen fidem da-
tam, utrum liberauerit uir celeberrimus mibi equidem non
constat; ut tamen illud si nondum factum est propediem
stat, non possum non, cum omnibus qui uirtutem & in ho-
ste laudandam esse censem, serio optare. Neque tamen
silentio prorsus praetereundus erit HOBESIVS, utpo-
te qui Cap. XV. Ciuis praeclara quaedam de cultu Deitra-
dit, licet nibilominus caute propter uarios insimul admix-
tos errores sit legendus. Quapropter idem quod Simon
Episcopius de notis ad Versionem Belgicam Bibliorum iu-
dicauit, de Hobpii quoque libro affirmari poterit, esse sci-
cet in illo bona, esse quaedam mediocria, esse mala multa.

pugnandum mihi sumserim, in eo, supremo Numine clementer annuente, ita sum uersaturus, ut sententia eiusdem breuiter & candide proposita, ea de re quid sentiam missis omnibus ambagibus aperiam, adductisque quae pro me militare uidentur rationibus, responsiones ad argumenta Aduersarii subiungam.

II.

Cogitata autem Philosophi Malmesburiensis in quaem iam inquirere constitui recensiturus, de uita ipsius ac ceteris opinionum quas fouit monstros, quaedam addere supersedeo, cum copiose satis luculenterque ea de re actum sit ab aliis. (b) Sententia vero summi huius Philosophi haec est: fundamentum cultus diuini inde accersendum esse, quod potentiae Numinis nemo resistere queat. Locus hanc in rem extat satis clarus in Ciuis Cap. XV. §. V. *In regno naturali inquit regnandi & puniendi eos qui leges suas violant, ius Deo est a sola potentia irresistibili: et quibusdam de statu naturali potissimum agentibus interiectis: Iis igitur quorum potentiae resisti non potest, et per consequens DEO omnipotenti ius dominandi ab ipsa potentia derivatur. Repetit deinde haec §. VII. afferens: Obligationem ad praestandam ipsi (DEO)*

A 3 obe-

(b) Vitam Hobbesi literis consignauit quidam Anonymus (quem tamen SEBAST. KORTHOLTVS, Radulphum Bathurstium, vocat) typisque excudi curauit Carolo poli 1681. in 12. In qua commentatione ita uersatus est, ut omnes res gestas et fata Hobbii, studia nempe, scripta, Defensores, Aduersarios &c. recensuerit. Iungendus huic erit DANIEL HARTNAC-CLVS in continuatione Michaelii pag. 2228, qui praemissa Philosophi huius uita, dogmata eiusdem ex libris eius excerpta lectori sifit. Quod pariter praestiterunt CHRIST. KORTHOLTVS P. II. Tract. de tribus Impost. Magnis. FALKIVS in Daemonol. Dissert. I. pag. 5. seqq. Dissert. III. pag. 54. seqq. et FRIDERICVS SPANHEMIVS Filius in Appendice ad Elenchum Controvers. pag. 624. seqq.

obedientiam incumbe hominibus propter imbecillitatem. Plura
non afferro : exceptioni saltem quae facile moueri po-
terat , occurrentum hic esse sentio. Verba scilicet ex
Hobbesio allata, in conuenienter adducta esse : neque id pro-
bare quod debebant, me quippe statuere ab Hobbesio fun-
damentum uenerationis Dei religiosae ab irresistibili Numi-
nis potentia deduci, cum tamen citata uerba non de cultu
sed potius de dominio Dei loquantur : adeoque si aliquid
euincant, id saltem euincere : fundamentum dominii diuini
esse irresistibilem Dei potentiam. Enimuero respondeatur :
quum dominii diuini fundamentum sit irresistibilis Numi-
nis potentia, etiam subiectionis quae in homine datur, fun-
damentum erit eadem irresistibilis Dei potentia : quodcun-
que enim est fundamentum dominii , idem illud etiam est
fundamentum subiectionis. Exemplo rem declarabo: fun-
damentum proximum dominii paterni in filium, uel ratio
fundandi est generatio : propter hanc enim generationem
Pater imperat filio, eadem tamen etiam generatio, funda-
mentum subiectionis & obsequii in filio est, quia enim filius
genitus est a patre ipsi obedientiam praestare tenetur. Pa-
ri ratione cum dominio diuino est comparatum. Si nem-
pe Deus ideo imperat, quoniam tali est instructus potentia
cui nemo resistere ualet, ideo etiam homo Deo est subiectus,
quia nimurum ipsius potentiae pariter resistere nequit: quam
quoque mentem Hobbesi esse patet ex uerbis ultimo loco
adductis Homo igitur ex sententia Philosophi nostri Deo
propter irresistibilem eius potentiam est subiectus, quare
propter hanc quoque rationem subiectionem suam Deo
testari debet: quod alio modo fieri non potest, quam per
submissam summi rerum omnium arbitri uenerationem, quae
nil aliud quam signum & testimonium subiectionis nostrae
qua DEO obnoxii sumus, dici debet. Manet ergo haec
sententia Hobbesi : fundamentum cultus diuini esse irre-
sistibilem Numinis potentiam.

III.

III.

Quae opinio cum satis lubrico fundamento niti videatur, aliam eligendam esse ipsa cultus DEO debiti natura atque ratio suadet. Cum enim ille, sit ueneratio Numinis cum amore & obsequio coniuncta, liquido patebit fundamentum eiusdem non ab irresistibili Dei potentia arcessendum; sed potius ab infinita diuinarum perfectionum praestantia, *ὑπεροχὴ*, et excellentia, esse deducendum. Vbi notanter dixi *fundamentum*, quo ipso simul tacite distinctionem inter *fundamentum*, et *rationem fundandi*, quam Rationalis Philosophiae Scriptores tradunt innui. Ut adeoque iam in applicatione fundamentum cultus nil aliud sit, quam causa et ratio remota, propter quam homo Deum colit, et Deus ab homine colitur: et hoc independentis, infinitae, aeternae, omnipotentis etc. diuinae essentiae et diuinorum Attributorum excellentiam supra dixi. Ab hoc fundamento differt *ratio fundandi*, quae cum per proximum *fundamentum*, et actualem fundamenti remoti applicationem definiatur, nulla alia in cultu diuino erit statuenda, quam actualis illa beneficiorum collatio quae ex infinita benignitatis diuinae scaturigine in nos miseris homines profluxerunt. Sic e. gr. Creatio, Conseruatio etc. commode dici poterunt *ratio fundandi*, uel *fundamentum proximum uenerationis Dei* quae ab homine proficiscitur religiosae. Creatura quippe rationalis, dum infinitis his beneficiis, citra omne meritum suum, ex sola superabundanti gratia, ab illo huius uniuersitatis Parente se mactatam esse sentit, non potest non, eo ipso firmissimum in animo suo deprehendere obligationis uinculum, ui cuius morali uelut necessitate, ad Deum colendum obstringitur. Consideratio igitur summorum Dei beneficiorum, causae quidem impulsuae ad amorem Dei rationem habet proximae, minime uero respectu dignitatis praecipuae, ultimae, ac summae. Homini nempe Deum esse colendum in animo suo statuenti, et in rationem huius cultus inquirenti, statim benefacta a Deo ipsi exhibita

hibita occurunt, iure gratitudinis reciprocum amorem postulantia. Si uero amor iste mercenarii nomine venire non debet, hic subsistere homo nequit ; sed ulterius causam beneficiorum, quae in ipsum Supremum contulit Numen indagare tenetur, quam ipsam beneficentissimam et perfectissimam Dei naturam deprehendet : quae idcirco, ut eam etiam in se, ac propter se diligit, et in ea ultimo acquiescat, optimo iure meretur.

IV.

Rem non alio quam recensito sese habere modo, ipsa cultus in genere spectati natura, firmissimis euincit argumentis. Omnis nimirum honor uel cultus, consistit in ueneratione obiecti alicuius orta ex opinione perfectionis, in subiecto quod colitur reperiundae : ut adeo omnis cultus in praestantia perfectionum rei colendae fundetur. Ex quo etiam fit, ut inter homines ii qui ceteros eximiis dotibus superant, tanto afficiantur honore, quantum uirtus ipsorum in excelsa posita meretur. Paria de Deo dici posse inficias ire quis ausit ? nisi eo ipso turpisimo crimen despectus diuinorum perfectionum, se uelit polluere. Quae enim unquam tam ferrea aut stupida reperiatur mens, quae non ad conspectum diuinorum Attributorum, ad illam diuinae essentiae lucem, ad illum diuinae excellentiae fulgorem obstupeceret et deuotissimaque animi ueneratione haec talia prosequenda esse flatueret ? Quis non considerata absoluta illa Dei Independentia, secundum quam neminem priorem se, qui ipsis esse suum largitus sit agnoscit ; sed a seipso modo tamen ab omni causalitate longissime remoto essentiam suam habet, attonitus miraretur ? Quis non cumulo illo diuinorum perfectionum penitus et attentius perpenso, ad colendum Deum Ens perfectissimum non tam alliceretur quam potius raperetur ? Cui non Aeternitas, Sapientia, Omnipotentia etc. humillimam aliquam submissionem extorquerent ? Mente illum captum existimarem, qui non absolu-

solutissimam illam & perfectissimam Omnisufficientiam
Immortalis Numinis, ui cuius sibi soli sufficit ac nulla
alia re praeter et extra se indiget, dignam iudicaret, ut
eius intuitu Deum summo amore complectendum esse,
arbitraretur. Diuinam porro Maiestatem si uel aliqua
saltem ratione contemplari, atque de ea balbutire quis
uelit, statim uidebit summam ei ab hominibus, quibus
sola obsequii gloria relicta est, deberi aestimationem.
Principes in quibus imaginem tantum aliqualem sum-
mae suae Majestatis rerum omnium Conditor relucere
uoluit, et qui exiguo saltem si cum eo conferantur iu-
bare corruscant colimus, et suspicimus: sordidi propter
ea Numinis futuri essemus contemplatores nisi etiam
tali quam meretur, diuinam Maiestatem cultu affice-
remus. Eadem profecto laboraremus insania, qua ille
omnium prudentiorum iudicio corruptus esse censere-
tur, qui debilem lunae fulgorem summis depraedicare
laudibus, pellucidissimum ex aduerso solis splendorem
uerbis minuere auderet. Eleganter proinde hanc in
rem disseruit, aureae eloquentiae Pater IO. CHRYSOSTOMVS
Constantinopolitanorum Episcopus
longe celeerrimus in Psalmum CXLIV. scribens. *Si quis unumquodque eorum (scil. beneficiorum de quibus
in antecedentibus egerat) enumeret, incidet in ineffabile pe-
lagus beneficiorum, et uidebit quot nominibus sit DEO obno-
xius.* Non solum autem propter haec, sed etiam propter Ma-
iestatem eius gloriae, propter substantiam ab omni interitu
alienam: nam etiam propter eam debetur ei a nobis gloria
et benedictio et perpetua gratiarum actio, cultus et ministe-
rium. Pulcherrime etiam haec exposuit Gargettius ille
Sapiens EPICVRVS: Deum colendum esse dicens
propter Maiestatem eius eximiam, singularemque na-
turam. Cui assentitur PORPHYRIVS MAL-
CHVS Sec. III. post Christum natum Philosophus

B

fatis

satis celebris : Deum sacrificiis etiam propter ipsius
ὑπεροχὴν honorandum esse contendens.

V.

Ipsi igitur sapientiores Ethniconm haec perspexerunt sententiamque mean sibi defendendam sumserunt ; sed plura adhuc adsunt argumenta pro me militantia, quae proinde iam sum prolatus. Scriptores quippe Philosophiae Primae, in Capite quod Bonitatem tradit sequentem afferunt Canonem : *Omne bonum est appetibile.* Cuius etiam Axiomatis hunc dicunt esse sensum : omne bonum posse appeti propter bonitatem suam : ut adeo appetibilitatis causa sit ipsa rei alicuius bonitas, et bonitas illa sine hac appetibilitate tanquam consequente aliquo esse non posit. Quae regula Philosophica cum de omni Ente Metaphysico, i. e. positivo, reali, actuali, per se, et incomplexo ualeat, de DEO quoque cui Entis Metaphysici definitio competit, uera erit. Quinimo rem omni carere dubio satis docet atque demonstrat, trita illa et recepta Ontologorum distinctio bonitatis in bonitatem per essentiam et per participationem : dum priorem soli DEO ; posteriorem uero omnibus rebus creatis tribuunt. Si igitur Deo competit bonitas per essentiam, si Deus est bonitatis omnis fons atque origo , cur non appetibilitas quae omnis boni consequens ipsis tribuenda ? cur non propter hanc bonitatem propter praestantiam et excellentiam essentiae suae submissa ueneratione prosequendus ? cur non haec infinita bonitas fundamentum cultus diuini statuenda ? Propter bonitatem uidelicet suam Deus est appetibilis, et ex hac appetibilitate deinceps fluit actualis illa appetitio : si nimis hoc non esset, frustranea et inanis foret ista appetibilitas cum frustra

frustra sit illa potentia quae nunquam traducitur in actum. Haec uero appetitio Numinis ab homine profecta in nulla re alia consistere potest, quam in cultu, cum non aliis quis praeter hunc Deum appetendi detur modus. Quibus ita disputatis ad oculum patet, summam essentiae diuinae bonitatem, causam remotam dici posse appetitionis Dei, in homine reperiundae, exercitentisque sese per submissam uenerationem benignissimo Numini debitam.

VI.

Accedit et hoc, quod illi qui ita sentiunt, eas non experiantur difficultates, quibus eorum sententia premitur, qui solam collationem diuinorum beneficiorum pro fundamento cultus uendant. Dum enim Deum, non ut Deum sed tantum intuitu beneficiorum ueneramur, non tam Deum, quam potius commoda nostra amare uidemur, qui tamen amor uno nomine mercenarius, diuinaeque essentiae prorsus in conueniens est. Confirmantur ex contrario asserto et ea, quae PETRVS CHAVVINVS de philautia tanquam causa omnium humanarum actionum differit et ad uenerationem supremi Numinis insimul applicat. Ipsa Auctoris uerba, cum sint iusto prolixiora hic afferre nolo, uideri tamen illa poterunt P. III. Libr. de Relig. Naturali Cap. I. p. 325. seqq. Vtrum autem de facto an uero de iure ea quae uir clarissimus protulit intelligenda sint, disputari potest. Imbecillitas quidem ingenii certi quid hac de re definire non permittit; nihilominus tamen si dicere liceat quod sentio, uirum doctissimum hic de facto et consuetudine hominem, minime uero de iure loqui persuasum habeo. Cum enim Chauuinus hoc ipso in loco infinitam natu-

B 2

ram

ram atque ἔχην Dei tanquam fundamentum cultus al-
leget, et aliis etiam in locis utpote Cap. III. P. I. p. 24.
et alibi id doceat ueram autoris quae supra tradita est
sententiam fuisse, tantum abest ut credam, ut potius
uirum celeberrimum eandem recensere saltem uoluisse
statuam. Quicquid autem huius sit siue ita senserit
uir Cl. sine non; falsum tamen illud ab eo commemo-
ratum placitum esse, nemo non uidebit, qui paulo cu-
ratius penes animum reputarit suum, homines quoque
rem quampiam amore prosequi posse, et si nullum inde
ad se redundaturum commodum uel sperare saltem
queant. Ceterum id nonnunquam penes homines
omnia suis unice utilitatibus metientes, usu uenire uti
non nego; ita apud omnes eundem aequem morem ob-
tinere penitus inficias eo.

VII.

Tantum itaque abest, ut cultus DEI ex amore
hominum proprio tantum oriatur; ut potius summa
diuinae essentiae ὑπεροχή, fundamentum eiusdem opti-
mo iure salutetur. Virtutem etiam in se ac propter se,
nullo ad praemia et poenas habito respectu excolendam
esse Moralium Doctores tradunt. Quare si uirtuti ea
tribuitur essentiae praestantia qua cultores suos ad se
propter seipsum amplectendam allicit, cur non Dei
qui omnium uirtutum Autor ac Stator est, excellens
essentiae bonitas sufficiens sit, creaturas rationales ad
decernendum sibi cultum mouere? Licitam enim uti
in aliis, ita et hic argumentationem a minori ad maius
fere, certissime habeo persuasum. Spinosissimus ille
SPINOZA neminem, Deum odio habere posse di-
cit (*d*) quae quidem assertio et si simpliciter non pro-
cedat;

(*d*) Prop. XVIII. P. V. Ethices cui hoc etiam subiunxit
Corollarium: Amor erga Deum in odium uerti nequit.

cedat ; id tamen affirmare ausim , hominem perfectio-
nes diuinas pia meditatione contemplantem , D E V M
odio habere non posse ; sed potius a praestantia diui-
nae essentiae ad eam colendam rapi atque stimulari .

VIII.

Diuersa longe ab his HOBESIVS docet
supra §. II. a me recensita, quaeque iamiam erunt ex-
pendenda. Nituntur autem ea, quanta quanta sunt,
figmento quod sibi de statu naturali hostili et illegali
concepit. Quod fundamentum si subuertatur , sua
sponte ea quae eidem superstructa sunt corruent et
collabentur. Cum autem illud a uiris celeberrimis
dudum sit destructum id tantum dicere liceat, statum
hunc quem sibi finxit HOBBIVS naturalem , ipsis
diuinioribus literis, et rectae etiam rationi aduersari.
Scripturae contrariatur : utpote quae alia longe de
statu hominum primaeuo tradit : dictamini rectae ra-
tionis repugnat, quod nempe contraria huic statui,
omnium mentibus inscripta ostendit principia, non ad
bellum omnium in omnes ; sed mutuam potius bene-
uolentiam blande atque suauiter unumquemque mo-
uentia. Lex quippe naturae omnes omnino homines
obligans, unicuique mortalium hanc praescribit regu-
lam : Neminem esse laedendum, suum autem cuique
esse tribuendum. Ex quo adeo consequitur, statum
hunc non esse illegalem, cum detur naturalis lex, quae
ut mandatum superioris nempe D E I , cilibet obliga-
tionem ad eam obseruandam imponere potest.

B 3

IX. In-

IX.

Infimo propterea innititur fundamento placitum HOBESII, causam dominii diuini erga homines, uel cultus hominum erga Deum irresistibilem Numinis potentiam statuentis: infirmum ergo et ipsum erit. Paucis praecipua excutiam. In regno Dei naturali regnandi et puniendi eos qui leges suas uiolant ius Deo est a sola potentia irresistibili inquit Hobbius I. supra §. II. cit. Quod itaque de dominio in genere disseruit: *in statu hominum naturali potentiam certam et irresistibilem, ius conferre regendi, imperandique in eos qui resistere nequeunt*, (e) id ab ipso in uerbis modo citatis ad dominium Dei applicari uidemus. Quamobrem non possum non mirari, qua ratione Vir acutus et magni ingenii qualis fuit HOBESIVS, id, fundamentum dominii constituere potuerit, in quo tamen homines a brutis, ad dominium nihilominus incapacibus, longe superantur. Inconsiderate igitur in illa re uersatus est Philosophus noster, quare ipsi etiam dicam scripsit Illustris PVFENDORFIVS, ac perperam haec ab eo asseri demonstrauit. (f)

X.

Confudit praeterea HOBIVS obligationem cum coactione, in sua de fundamento adorationis Dei religiosae positione. Ea enim quae affert id saltem probant, irresistibili Numinis potentia homines ad se collendum compelli atque cogi posse, minime uero legitimam obligationis originem tradunt. Haec quippe qualitas moralis est, per quam quis praestare aut admittet-

(e) *Civis Cap. I. §. 14. p. m. 17.*

(f) *Libr. I. de I. N. et G. Cap. VI. §. 10.*

mittere, uel pati quid tenetur : potentia autem irresistibilis, viribus et labore nitorum, quae tamen physicum quid sunt, adeoque morale quid, qualis est obligatio, ex irresistibili potentia tanquam physico quodam ortum habere nequit, cum effectus sequatur conditionem causae quatenus causa est.

XI.

Non ergo DEO ius est a sola potentia irresistibili: neque enim benignissimum Numen, cum hominibus quibus libertatem dedit irresistibiliter; sed modo tam diuinæ essentiae liberrimæ, quam naturæ humanae libertatem amanti, congruo et conuenienti agit. Neque etiam DEV S hominem punire potuisset, si non peccasset, quod affirmat Aduersarius, eoque in capite cum IO. MACCOVIO, MOSE AMYRALDO GVILELMO TVVISSO, RHETORFORTE SZYDLOVIO, ex absoluto DEI iure in homines, absolutoque decreto id deducentibus consentire uidetur. Quorum tamen omnium sententiae dudum a nostratisbus Theologis erroris conuictæ et damnatae fuerunt. Concedi equidem potest, DEV M habere irresistibilem potentiam et illimitatum in homines ius ab extra i. e. ut nemo eum in ius vocare possit, cui rationem reddere teneatur quare ita et non aliter agat, idem tamen illud ius quodammodo ut ita loqui liceat limitatum est ab intra, nempe ab ipsa essentiali DEI iustitia, aliisque diuinis attributis, quae DEV S negare nequit. Temperamentum igitur diuinæ potentiae, iustitiae, misericordiae etc. sedulo hic est attendendum. Conferatur Illustris Academiae Gryphiswaldensis Pro-Cancellarius Perpetuus DN. D. MAYERVS (g) et Excellentissimus DN. Prof. SCHROEERVS. (h)

XII.

(g) In *Dissert. Select. Dissert. I.* pag. 25.

(h) In *Dissert. de Priuat. Grat. Diuinæ §. 8. 9. 10. seqq.*

XII.

Absurda quae ex Hobbesiana oriuntur sententia congesit, iisdemque breuiter equidem solide nihilominus eandem confutauit Celeberr. VRIESIVS, cuius uerba afferre haud praeter rem erit. Ita autem ille: Errat Hobbesius uehementer, quando religiosae uenerationis fundamentum reuocat ad solam irresistibilem DEI potentiam. Quo ipso omnis genuinae pietatis basin penitus subuertit. Etenim si in solius potentiae existimatione consistat honor, utique seruilis metus fuerit unica et uera religio qui tamen poenae tantum formidinem non uirtutis amorem generare aptus est. Nisi forte pessimi quique ipsique adeo Diaboli, DEV M rite honorare credendi sint; quippe qui non possunt non agnoscere, et aestimare vim irresistibilem Numinis, cuius potentem manum sentiunt atque experiuntur. Excusandi saltem in tantum iuxta hanc hypothesis Indi, quando se cultum Diabolo deferre profiteretur, eo fine ne noceat. (i)

T A N T V M.

(i) Exercit. XVI. §. V. confer etiam eiusdem Dissert. de lege Naturae §. 13.





XII.

At
tia conge
lominus
cuius uer
Errat Ho
tionis fu
potentiar
penitus
matione
unica et
dinem n
forte pe
honoraro
scere, ei
potenten
sanda
q

033

x Hobbesiana oriuntur senten-
cie breuiter equidem solide nihili-
futauit Celeberr. VRIESIVS,
id praeter rem erit. Ita autem ille:
nenter, quando religiosae uenera-
re uocat ad solam irresistibilem DEI
o omnis genuinae pietatis basin
Etenim si in solius potentiae existi-
nor, utique seruilis metus fuerit
qui tamen poenae tantum formi-
amorem generare aptus est. Nisi
ipsique adeo Diaboli, DEV M rite
t; quippe qui non possunt non agno-
uim irresistibilem Numinis, cuius
ntiunt atque experiuntur. Excu-
ntium iuxta hanc hypothesis Indi-
um Diabolo deferre profiten-
eo fine ne noceat. (i)

A N T V M.

confer etiam eiusdem Dissert. de lege Na-
turae §. 13.

(i) Exer

